

iam prius, quam rebus ad peregrinationem necessariis operam et studium adhibeat, se ipsum excutere, ac penitius nosse debet. Hac enim uia facile indagabitur, quid fieri oporteat, quid omitti, utrum citius, an tardius iter ingredi consultum sit. Cum autem omnia, quae homini inesse, uel obtingere possunt, partim ad animum pertineant, partim ad corpus, partim ad fortunam, siue, quod perinde esse uidetur, partim ad bona, aut mala, interna, partim ad externa, spectent, omnis etiam consideratio sui ad tria haec capita non inepte referri potest. Animum quidem sic exploret peregrinaturus, ut sciat, an iis instructus sit doctrinis, uirtutibus, ac praesidiis, quibus ad peregrinationem, scopo conuenienter peragendam, opus esse, cognouit. Circa corpus uero inquirat, an firma sit ualetudo, iusta aetate, ordinataque uiuendiratione subnixa, qua incommoda itinerum, maxime aëris, uictusue diuersitatem sine periculo subire possit? Ratione fortunae denique consideret, utrum tales habeat parentes, propinquos, patronos et amicos, a quibus subsidia necessaria exspectare possit, an ad peregrinationem, feliciter instituendam, propriae sufficiant facultates? Quae similisue consideratio si probe instituat, et recta euadet praeparatio, et felix procedet peregrinatio, sin minus, pleraque praepostera erunt ac peruersa. (b)

REGVLA

in praecipis regis ad Iustinianum cap. IX. cognitionem sui uocat *πρωτον κ̄ θε̄ον μάθημα*. Imo de cognitione sui, I. N. principio, dissertationem habuit IO. GOTTHELF ROSA Ienae 1718. Ad Senecam *περι τ̄ς γνώσε̄ς σεαυτ̄ον* Celebrerrimus quondam in Academia hac Orator, GEORG. CASPAR. KIRCHMAIERVS, GVILIELMI, Professoris adhuc nostratis, nostrique Patroni honoratissimi, Parens, commentatus est Anno 1689.

(b) Peregrinationem tribus potissimum rebus inutilem uanamque fieri, cum et nimis iuuenes sint, qui peregrinentur, et literarum

rum